

49
DISPUTATIO INAUGURALIS,
DE

655
AMORTIZATIO-
NE BONORUM,

Quam
Sacrosancta Triade annuente,

Ex Decreto & auctoritate

Magnifici, Nobilissimi, & Amplissimi Jcto-
rum Ordinis in illustri LL. nutrice Salana,

P R Æ S I D E

Viro Nobilissimo, Amplissimo, Consulissimo,

DN. ZACHARIA Prueschencfen

JCTO ET ANTECESSORE CELEBRATISSI-
MO, CONSILIARIO SAXONICO GRAVISSIMO,

Curia Provincialis, nec non Facultatis inclytæ & Scabinatus Af-
fessore dignissimo; Dn. Patrono, Promotore & Præceptore
suo singularis reverentiæ & obsequii cultu æter-
nùm prosequendo:

Pro supremis in utroq; jure Honoribus, Privilegiis, & Insi-
gnibus Doctoralibus ritè consequendis,

In auditorio Jctorum

Ad diem Novembr.

horis matutinis

Publicæ doctorum censuræ præsentat & submittit

ANDREAS RAMDOHR, ASCANIUS

SAXO.

JENÆ,

PRELO LOBENSTEINIANO.

ANNO MDCCXXX.

iss. jur. civ.

42,22

55.



Quod felix, faustum, fortunatumq, sit!

INTRODUCTIO.

Multis modis in jure deprehendimus, rerum acquisitionem & possessionem impediri, & quidem, vel ratione objecti, si liber homo, aut res sacra, quæ in commercium deduci non potest, in aliquem translata fuerit; vel ratione malæ fidei, utcunque titulus reverâ intercesserit, veluti, si sciens rem à non domino emeris; vel ratione nullitatis contractus; vel etiam ratione absentia omnis tituli, veluti, si quis per vim, aut clam occupaverit, vel deniq; ratione subjecti incapacis, veluti, si quis jure speciali prohibeatur, vel quærere vel possidere, ut damnati in metallum. *l. si in metallum. 3. ff. de bis, quæ pro non script. hab.* Itē & homines, quos dicimus manus emortuæ, tenentur rerum possessiones à se emancipare, possessione ve decedere, nisi ex gratiâ & dispensatione Principis, h. e. *Amortizationis* jure possideant. Hanc difficilem, & adhuc usq; indiscussam, AMORTIZATIONIS materiam, quantum hinc inde ex Interpretibus juris de ea licuit colligere, certis positionibus circumscribere, circumscriptam, loco Dissertationis Inauguralis, publicæ Eruditorum censuræ subijcere, haut præter rem fore, existimavi. Quemadmodum autem Sacratissimus Imperator *Justinianus* ad omnes actus in nomine Domini nostri Jesu Christi, o-

A s

mni-

omniaq; consilia semper progredi consuevit l. 2. C. de off. pref. prat. Ita & ego hunc laborem manibus ad coelum erectis aggredior, eumq; in nomine Sacrosanctæ & Individuæ Trinitatis feliciter exordior,

POSITIO I.

Etymolo-
gia.



Mortizationis nomen latinum non est, sed deductum videtur ex peregrino Idiomate, & Gallica voce *Amortir*; quod significat, Extinguere. Quemadmodum enim ista caro, quam chirurgus, ut noxiam, à corpore ægri resecat, extinguitur, & vitâ privatatur: eodem modo bona, quæ per Principem amortizantur, extincta censentur, ita, ut communi hominum commercio exempta, in alium postmodum transferri nequeant. Et sicuti lis, quæ in disceptatione Judiciali desit, mortua. l. cum lite. 2. ff. jud. solv. monachus, qui à communi hominum consuetudine exclusus est, mortuus dicitur. l. fin. C. de Episc. & cler. Novell. 22. c. 5. in fin. Ita res, quæ ex dispensatione & indulgentia principis in manum mortuam transfertur, & ita amplius de una in aliam viventium manum non transit, mortua appellatur, cujusmodi sunt bona, quæ dicuntur Amortizata. Inde *Amortizatio*.

II. Quid autem per manum mortuam intelligatur, non adeò videtur esse obvium. Variis modis eam sumi, testis est *Bartholom. Chassaneus ad Consuetud. Ducat Burg. rubr. des mains mortes in pr.* Verùm *Carolus Molinaeus in comm. ad Consuetud. Paris. tit. 1. de Fiefs. 8. § 51. gloss. 2. n. 55.* & *Nicol. Boerius ad Decis. Burdegal. decis. 263. n. 10.* dupliciter potissimum illam accipi notant. 1. Pro persona conditionatæ servitutis. Quales adhuc, veteri tamen & misera Jurisgentium servitute exploratâ, reperiri, asserit idem *Molin d. tit. § 3. gl. 3. n. 2. & 3.* & esse, qui non possint alienare bona ejus conditionis, nec de illis testari sine consensu domini, qui eis sine sociis vel liberis ejusdem conditionis descendantibus succedat. Hi vocantur *Homines mang mortua*, Gallis *gens où serfs de main morte*, eorumq; f. cit.

facit mentionem *Cynus in l. voluntarie. fin. C. de Excusat. tut.*
 Differunt ab ascriptitiis, quòd illis à gleba discedere, bonis,
 quæ tenent à Domino, renuntiare, liberè deinde sibi acqui-
 rere, & plenæ perfectæq; libertatis jure potiri liceat, ascri-
 ptitiis non item. *Molin. d. l.* Et hæc acceptio non est huius loci.
 2. Pro corpore bonorum capace, sive Ecclesiastico, sive secula-
 ri, quod de se non moriatur, nec mutetur. Ut sunt, Ecclesiæ,
 Capitula, Civitates, collegia, Communitates, Monasteria, Ho-
 spitalia, Fratritæ, Xenodochia, quæ dicuntur manus mortuæ,
 eò, quod nunquam deficere creduntur, sive per mortem,
 alienationem, divisionem, donationem, heredis institutio-
 nem, substitutionem, legatum, permutationem, sive per aliam
 quamcunq; mutationem; sed iidem semper possessores intel-
 liguntur, citra mutationem apparentem. *Job. Papon. in Decis.*
lib. 1. tit. 14. Et sicut semel mortuus denuò non moritur, ita
 corpus ejusmodi, etiamsi omnes personæ, ex quibus consistit,
 rebus humanis eximantur & mutantur, immutatum per-
 manet, adeòq; per subrogationem personarum eundem semper
 statum obtinet. *l. sicut. 7. §. 2. ff. Quod cujusq; Universit. c. quo-*
niam Abbas. de offic. & potest. Jud. deleg. l. annua 20. §. 1. de ann.
legat. Textus in hanc rem elegans est in *l. proponebatur. 76. ff.*
de Jud. Ubi sedes judicialis, quamvis moriatur iudex, & alius
 in defuncti locum substituatur, idem habet iudicium: Idque
Alfenus Jctus verum esse, ait, in cæteris rebus, ut 1. in *Legione*,
 quæ, licet ex ea multi decesserint, modò alii in eorum locum
 subijciantur, eadem permanet. 2. In *populo*, Is idem videtur
 hodiè, qui ante centum fuit annos, & proconsulatus est unus,
 licet plures succedant proconsules. *l. 10. pr. ff. de officio Procons.*
 Cui convenit, quod in Jure Canonico sedes Apostolica non
 mori dicitur *c. si gratiose. extra de Rescript. in 6.* Quà de re etiam
 eleganter disputat *Aristoteles lib. 3. Polit. c. 2.* Ubi ostendit ma-
 nere τὴν αὐτὴν πόλιν, i. e. eandem civitatem, licet cives, aliis
 morientibus, & aliis nascentibus, mutantur: idq; exemplo flu-
 minum insigniter probat, quæ dicere soleamus eadem, & fon-
 tes eosdem, καίπερ αἰετὲ μὲν ἐπιγνομένε νάματα, τὲ δὲ
 ὑπεξίοντ. h. e. aqua licet semper alia affluente, alia defluen-

te. 3. In Navi. Quæ sæpè mutatis tabulis est resecta, & eadem nihilominùs permansit, quod etiam tradit Pomponius in l. 24. §. fin. de legat. 1. Ulpianus in l. 10. §. 7. quibus mod. Ususfr. Paulus in l. 83. §. 5. de V. O. & l. 98. §. fin. ff. de solut. Et talis erat Navis, quæ *Theseus* (qui post mortem *Ægei* patris decimus Atheniensium Rex fuit tempore *Colæ* Sexti Hebræorum Judicis) ad *Cretam* navigavit, & *Athenis*, quò postmodum reversus est, in rei memoriam ab Atheniensibus ad usq; *Demetrii Phaleræi* Clarissimi Philosophi & Athenarum moderato- ris tempora conservata fuit, novis & validis subinde tabulis in earum locum, quæ computruissent, subrogatis & coapta- tis; ut ex *Plutarcho Cheroneo* habetur in vita *Thesci*, *Lapo Florentino Interprete*. De qua navi vide elegantem & eruditum tractatum *Lazari Bayssi de re navali*, quem edidit super l. 2. ff. de Captiv. & Postlim. revers. Circa navem verò absurdum *Alfe- nus* desumit à corpore humano, ex quo secundùm Philoso- phos minimæ particulæ humidæ radicalis & caloris nativi quotidie decedunt, aliæq; in earum locum succedunt. *Aristo- teles lib. de longit. & brevit. vitæ. c. 2. lib. de Vita c. 2. Scalig. Exercit. 23. & Exercit. 275.* Absurdum autem foret, si singulis diebus alius & alius homo existeret, aut ex sententiæ *Senecæ lib. 8. Ep. 59.* non esset manè, qui pridie; nam & juvenis idem est, qui in- fans, attestante *Celso in l. 67. §. 2. de furt. & Paulo in l. 13. ff. de Condiçt. furt. Francisc. Hotom. Illustr. quest. 8.* Eodem igitur modo se habet tale corp9, ut *Ecclesia*, *Universitas*, *collegiũ* &c. quod, cum non moriatur, personis licet mutatis, non muta- tur, sed omnis expers sit viciscitudinis, vocatur *Man9 mortua*: Quanquam *Matth. de Afflic. ad c. de Prohibit. feud. alien. per Fe- der. pag. mibi 679.* notat, *Lucam de Penna ad. l. si qui. 5. C. de di- vers. præd.* existimare, si feudum ad *Ecclesiam* perveniat, ve- riùs & propriùs à fiscalibus regni dici, quòd feudum perve- niat ad manus perpetuas, non mortuas, eò, quòd, ut nec impe- rium, quod semper est. *Novell. 6. in fin. §. licentiam.* ita nec *Eccle- sia* moriatur, adeoq; incongruè *Ecclesiam* vocari manum mortuam, nisi secundùm hoc, quòd pugnare non possit, sed pugnet per substitutum. Et *Petrus Peckius in tr. de Amortizat.*

C. E.

§. 2. in fin. statuit, ideò tale corp9 manum mortuam dici, quòd, quemadmodum morientis hominis manus id, quod comprehendat, firmissimè conclusum teneat, nec facilè remittat: sic etiam, quicquid Ecclesia seu corpus ejusmodi semel acquirat, & in manum h. e. potestatem suam accipiat, non nisi magna cum difficultate & solemnitare in commune hominum commercium post deinde remittat, sed accumulando conservet. *tt. de rebus Eccl. alien. vel non.* Attamen prior expositio, quã quoq; tenet *Petrus Gregor. Tholosan. in Syntagm. Jur. Univers. lib. 6. c. 5. n. 7. & l. 15. c. 37. n. 4. 5. 6. l. 20. c. 11. n. 4. 5.* quæq; hujus loci est, cõvenientior videtur, videlicet manum mortuam denotare corpus, & ita dici ideò, quòd nunquam propter surrogationem personarum moriatur, indeq; bona temporalia in eam transferri non posse, nisi impetratâ Principis gratiã & dispensatione.

III. Et illa non duntaxat vocatur Amortizatio *Petro Synonyma* Peckio d. tract. de Amort. Johan. Papon. in decis. lib. 1. d. tit. 14. *miã.* Ægid. Magist. tr. des. Amortissements. c. 1. Verum etiam Amortillamentum *Petr. Gregor. Tholosan. l. 6. c. 3. n. 2. & c. 5. n. 5. & 6.* Morticinium sive jus Morticini; item Extinctio, quod cum vocis etymologiã congruit, *Tholosan. lib. 3. c. 5. n. 2. in fin. Petrus a. Jacobi in praxi sua tit. de causis, ex quibus vasall. debet amitt. feud. cap. de acquis. ab Eccles. §. Item acquirit legitime,* verbum hoc Amortizationis velut turpe repudiat, & jus hoc *Adjuvationem* potiùs nominandum arbitratur, quasi sc. Ecclesia per id juvetur; quem tamen, cum nomen hoc nimis vagum sit & generale, non sequimur. Gallis vocatur *Parascapht. Affranchissement. Amortissement. Tholosan. lib. 3. c. 5. n. 2. l. 20. c. 11. n. 4. Ægid. Magistri d. tr.*

IV. Ortum Amortizatio potissimùm in Gallia, ut ipsũ *Origo.* vocabulum argumento est, sicut & in Italia, & Hispania traxisse videtur, eãq; occursum fuit Principum legibus & constitutionibus, quæ Ecclesiis rerum immobilium acquisitionem & possessionem interdixere. Quamvis enim jure legis Moisaicæ Levi stirps non potuerit habere partem aut possessionẽ cum fratribus. *Deut. 12. Ubi dicitur, divisionem inter Levi & ejus fratres*

fratres factâ, cuiq; familiae possessiones, certaq; loca assignata fuisse; at familiae Levi, quae ceremoniis & officio Divino destinata erat, pro sorte & possessione ipsius Dominum Deum adjudicatum fuisse: Et inde Ecclesiastici in primitiva Ecclesia nulla bona nec occupaverint, nec possederint, sed si quæ oblata sive mobilia, sive immobilia, & ad pedes Apostolorum projecta, confestim ad nutriendos & fovendos egentes ea reddiderint, juxta *c. futuram Ecclesiam. 12. q. 1. & c. videntes, ead. caus. & quest.* Attamen procedente tempore per usurpationem Ecclesia possessiones nacta est, & magnis bonis temporalibus, veluti redditibus, feudis, castris, terris, & dominicis juribus adversus instituta primitivæ Ecclesiæ locupletata fuit, eamq; primus *Constantinus Magnus* Imperator tot opibus amplificavit, tot muneribus auxit, tot facultatibus donavit, ut cum Ecclesiastici venditione, pretiiq; in pauperes divisione ea omnia à se abdicare deberent, contra ita obstinatè sibi vindicârunt, ut ea sibi propria fecerint, & pleriq; in omne genus luxus, exclusis pauperibus, thesauros Ecclesiæ profuderint. Cum verò hâc ratione cæteri status (quos juxta Philosophum *l. 5. polit. cap. 3.* æquè conservari ac crescere decet, ut commensurationis harmonia maneat) ad pauperiem reducerentur, fieretq; , ut propter immunitatem perpetuam, quam ab omnibus ferè exacti- onibus & indictionibus, rebus Reip. causa imponendis, habe- bant Ecclesiæ, collegia & similes personæ. *c. cum adversus. 7. de Immunit. Ecclesiar. l. placet. 5. C. de SS. Eccles.* Resp. detrimen- tum maximum pateretur; enervatis redditibus per illam re- tentionem, quando neq; laudemia à dominis directis eorum bonorum, neq; renovationes feudorum amplius pendeban- tur: latae fuère leges & constitutiones, à jure communi dissi- dentes, ne ulterius bona immobilia in Ecclesias transferren- tur: cujusmodi non duntaxat in Hispania receptas fuisse, te- statur *Petrus Belluga Hispanus in speculo Princip. Rubr. 14.* verùm etiam jam inde à multis seculis in Italia, & locis Romano Im- perio subditis floruisse, *D. Hieronymus* evidenter ostendit in *Epistola. 2.* quam ad *Nepotianum* de vita Clericorum ac Sacer- dotum scripsit, inquiens; *Pudet dicere sacerdotes Idolorū, mimi*

¶

Et auriga & scorta hereditates capiunt, solis clericis & monachis
hoc lege prohibetur, non à persecutoribus, sed à Principibus
Christianis. Nec de lege conqueror, sed doleo, cur meruerimus hanc
legem. Quod etiam D. Ambrosius lib. 5. Epist. 31. quam scripsit
ad Valentinianum Imperatorem, dilucidè tradit, & privatæ suc-
cessionis emolumenta Sacerdotibus, legibus recentibus, rectè
denegari, ostendit. Non enim, inquit, putamus injuriam, quoni-
am dispendium non dolemus. Et post subnectit hæc verba: *Sola
sublata sunt prædia, quia non religiosè utebantur iis, quæ religio-
nis jure defenderent.* Huc quoq; respexit Faber in l. quoties. in fin.
C. de R. V. & Masuer. in sua Pract. forens. de locat. & Conduct. n. 20.
& 21 Pontan. in Histor. Amstelod. fol. 28.

V. Et maximè harum ll. meminit Bodinus, qui lib. 5. de
Rep. c. 2. fol. 530. plura enumerat statuta, quæ modò prædia, resq;
immobiles Ecclesiasticis Collegiis denegaverint, modò Eccle-
siam bona jam quæsitæ intra annum à se abdicare, & in perso-
nam capacem, quæ servire posset, & de veris facere, transfer-
re jusserint. Idq; ait, factum, propter incrementum quotidie
crescentium bonorum Ecclesiasticorum, quæ semel quæsitæ
nec distrahere, nec diuturnâ locatione concedere licuerit. fol.
531. Ubi addit, in Galliis rationum publicarum prætorem Ale-
manum sibi omnia curiosius conquirenti narrasse, duos fe-
re trientes agri Gallici ad sacrû ordinem possessione, vel do-
minio pertinere, neq; id mirum esse, quia quatuor supra cen-
tum Episcopi, duodecim Archiepiscopi, quingenti & quadra-
ginta octo Abbates Curionû 27400. numerentur, si modò sin-
gulis urbib. & pagis singuli Curiones tribuâtur; extra minores
Archimandritas, & cœnobia tenuium monachorum viatim
mendicantium. Vide Dn. Lindenspuer in comment. ad ordin.
Wurtenb. f. 82. In Belgio quoq; per Burgundos Principes latas
fuisse ejusmodi leges, testatur Peckius d. l. quas Imperator Ca-
rolus V. amplificavit, & confirmavit, atq; expressam Constitu-
tionem anno 1520. die 29. Octobr. edidit, quâ bonorum immo-
bilium acquisitionem & possessionem manibus mortuis in-
terdixit, ne principes seculares, si prædia essent feudalia,
quintarum, subquintarum, redemptionû, recognitionum, si

B

censu

censuaria, laudemiorum, semilaudemiorum, venditionum
 facti varum, & aliarum obventionum jura amitterent, quod
 omnino cōtingeret, si ejusmodi prædia ab hominibus manus
 mortuæ possiderentur; quoniam id genus personis interdicta
 est omnis veditio & alienatio, nec confiscationi occasionem
 præbere, nec mori possunt, sed etiã post mille annos, aliudve
 tempus eadem personæ, iidemq; possessores censentur, &
 semper à suis successoribus repræsentantur, quod non accidit
 in particulari possessore, è cujus manu res multis exit modis,
 venditione, donatione, legato &c. De horum quoq; statu-
 torum validitate, & quousq; se extendant, eleganter agit
Paulus Christinæus in Decisionibus Curie Belgicæ Vol. 1. decis. 201.
 Atq; *Polidorus Virgilius lib. 17. Histor.* scribit, circiter annum
 1294. in Anglia sub *Bonifacio VIII.* Concilium Londini cele-
 bratum contra Judæos, in quo statutum sit, nemini homi-
 nū ampliꝰ licere, prædia dare Collegiis & sodalitiis monacho-
 rum, nec Sacerdotibꝰ, aut monachis emere possessiones ali-
 quas, nisi permissu regis. Et aliquãto post addit; Episcopos ca-
 pto inter se consilio postulasse, ut legem ad manum mortuã,
 cum eam ordini suo valde nocere perspicerent, antiquarent.
 Id ipsum quoq; dietim in regno Gallie practicari, refert *Guil-
 helm. Benedicti ad c. Raynutius. decis. 5. ad verb. Et uxorem n. 3.*
 ita, ut in literis quibusdam regis, tam in possessorio, quam in
 petitorio judicio super rebus immobilibus acquisitis, Eccle-
 siæ processis, semper penè in fine hæc annectatur clausula. *Pro-
 viso, quod habitã possessione pacificã, teneatur Ecclesia vel mona-
 sterium talia bona extra manum suam ponere infra annum &
 diem, & illa transferre in manum seu personam capace[m]. quæ ser-
 vire possit & de veria facere, aut consensum Regis, hoc est, Amorti-
 zationem obtinere;* quæ harum legum & Constitutionum est
 veluti solutio & laxamentum.

VI. Ea à Dd. variè definiri solet. *Petrus Belluga in d.*
Definitio speculo princip. rubr. 14. Amortizationem appellat translatio-
 nem jussu Principis in manum mortuam factam: Paulò aliter
 eam describit *Benedictus Curtius De Arrestis Amorum Arr. 7*
fol. 62.

fol. 62. Est n., inquit, Amortizatio remissio juris, introducta, ne nobiles, vasalli & cæteri ob hujusmodi alienationes pauperiores facti, servitia & debita min9 idoneè Principi impédât & solvant & c. *Carolus Molin.* duas affert descriptiones *in com. ad consuet. Paris. d. tit. 1. de fiefs. §. 51. gl. 2. n. 68.* Quarū posterior: Amortizatio est renunciatio, seu privatio juris cogendi eam ad transferendā in idoneam manū, Prior: verò *Amortizatio est licentia retinendi bona immobilia per manum mortuam.* Hanc, cū rem optimè describere videatur, reliquis meritò antefarendam existimo. Rectè autem, generis loco, ponitur Licentia, id est, permissio: ostēsū enim, propter leges latas, & constitutiones manibus mortuis rerum possessiones, cū nunquam eas, proptet eundem, quem ex surrogatione personarum retinent *statum. l. 76. de jud. in commune hominum commercium dimittant, adeoq; dominos, quorum interest, juri- bus dominicalibus privēt; nō licuisse acquirere, sed cogi, pte dia acquisita in manum vivam h. e. personam, quæ infinitis mutationibus & alterationibus sit obnoxia. l. senatus. §. mortis causa. vers. siquidem. ff. de mort. causa donat. & jura pro consuetudine loci persolvere possit, transferre. Inde, ut hoc omne evitarent, licentia possidendi prius erat impetranda, & postulanda amortizationis iis omninò incumbere necessitas: Quæ tamen annon libertati Ecclesiasticæ deroget, disquirere solent? Et quanquam *Petrus Jacobi in sua praxi tit. Ex quibus causis Vasall feud. amitt.* admodum confidenter eos, qui ejusmodi Cōstitutiones, rerum immobilium acquisitionem avertentes edant, excommunicationi, aliisque pœnis subjiciendos, & ad reparationem damni illati obligari, adstruit; alii verò, *ut Johannes Bressianus, ad consuetud. Averniæ c. 21. §. 14. in pr.* mitiùs & modestiùs locuti, non multum sibi eas placere, asserunt: attamen negativam in opinionem ingentem Interpreterum numerum conspirare, testis est *Peckius d. tr. c. 6.* quam & ipse sequitur, non quòd illorum rationes approbet, ut qui sciat, sententiarum pondere & veritate, non opinantium numero in rebus controversis dijudicandis, utendum esse, sed, quòd alia ratio necessitatis postulandi amortizationem, subsuerit,*

puta (1.) quod Constitutio ejusmodi ab ipsa Ecclesia, & Eccle-
siasticis Proceribus probata & admilla sit, roganteq; eam
Principe, à tot annis propalam & publicè in usum recepta, & li-
cèt in aliquibus locis ab initio contradictionem aliquam
passa fuerit, ab ea tamen postea totus clerus recesserit, & tam
longa annorum serie amortizationem bonorum acquisito-
rum petierit; attestante hoc etiam *Petro Belluga d. cap. n. 37.*
(2.) quod ordo clericus rationem facultatum acquisitarum,
nò modeste, sancteq; servaverit, sed in omne genus luxus, ex-
clusis pauperibus, thesauros Ecclesie profuderit, & ita opibus
malè fuerit usus. Nec etià Synodus Tridentina, quam dissenti-
entes urgent *sess. 25. cap. 3.* pugnat; neq; legem amortizationis,
seu prohibitionem acquirendarum rerum immobilium,
damnat *Peckius d. l. sub fin. c. 6.* Et hanc sententiam *Dominos su-
premi Concilii* approbasse, ac postmodum *anno 1520.* performam
edicti perpetui ejusmodi inhibitiones confirmasse & auxisse, re-
fert *Paul. Christianæus dict. Decis. Belg. 201. n. 6.* & hanc in rem al-
legat *Franciscum Zypæum* *Actum Canonicum & officialem An-
tuerpiensem in Jure Pontificio l. 2. n. 17.* Novissimè in definitione
dictum; *retinendi bona immobilia*, de quibus in explicatione
objecti, seu materiae Amortizationis agemus. Quid verò per
manum mortuam intelligatur, supra satis fuit ostensum.

Divisio.

VII. Amortizatio potest constitui duplex, *Generalis & Specialis.* Hæc singula prædia & possessiones, quarum à Prin-
cipe petitur amortizatio, minutatim & singulatim exprimit.
Ista nullam facit specialem rerum amortizatarum designatio-
nem, sed venit sub generali appellatione eorum omnium,
quæ ex bonis temporalibus manus mortua possidet. Sive
autem amortizatio cōcedatur in genere, sive de certis prædiis
in specie, semper exprimitur, vel tacitè subintelligitur con-
suetam illam formulam; *Salvo jure nostro in cæteris.* *Molin. n. 97.*
De generali fuit controversum, an valeret? Quod multi pro-
pter *l. cum Aquiliana. 5. ff. de transact.* sunt inficiati, cum libe-
rationes generales censeantur captatorie & fraudulentæ. Fa-
cit *l. 3. §. contrarium. ff. de contr. tut. & util. act.* Quam dicunt
optimè ad rem pertinere, ut asserit *Jason. in d. l. cum Aquiliana*
referens

referens *Oldradum, Albericum, Bald. & Bart.* Obtinuit tamen, ut generales Amortizationes valerent, quales non duntaxat Regem *Franciscum Primum* complurimas Normanniæ, Piccardiæ, Burgundiæ, aliisque regni sui locis concessisse, sed etiam in Parlamento admittas, verificatas & approbatas fuisse, testatur *Johan. Papon. Arr. 1. d. tit. 14.* Talis quoque extat amortizatio generalis omnium temporalium ab Ecclesia *S. Petri Doratici*, apud Lemovicenses possessorum conscripta *lib. 3. constit. Ludov. 12. fol. 50.* & alia pro Ecclesia *du Puis nostre Dame apud Andegavenses fol. 168. eod. lib.* ut notat *Ægid. Magistri. Eques, & in suprema Parisiensi Curia Primus praeses tr. des Amortiss. c. 9. n. 2.* ibidemque consimiles plures amortizationum generalium refert species.

VIII. Visâ definitione & divisione, sequitur subje- *Subjectivè*
ctum, quod dupliciter considerari potest. *Activè & passivè. Activum.*
Subjectum Amortizationis Activum est summus Princeps; ipse solus jus hoc morticini dare potest, & concedere hominibus manus mortuæ facultatem immobilia retinendi, & in perpetuum possidendi. Licet enim in regno Gallia receptum, & diu toleratum fuerit, ut Pares Francia, Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, Barones, aliique Domini, regem recognoscentes, circa suas Jurisdictiones amortizarent, & per aliquot tempus hoc jure usi, nemine palam contradicente, in hujusmodi manus mortuas consentirent; attamen postea, veritate rerum perspectâ atque cognitâ, definitum & constitutum est, ipsis hoc non licere, sed jus amortizandi, & indulgentiam præbendi hominibus manus mortuæ possidendi res immobiles, ad solum regem spectare: cujus ratio hæc est, quod solus Rex in suo regno omnium temporalium sit supremus, solusque possit incapaces possidendorum immobilium capaces reddere; ipse omnium fons est, scaturrgio & Dominus, & ut *Baldus* notat *ad §. ad hoc. de allod. col. 3. vers. ex premissis.* à supremo principe, cujusmodi est Rex in suo regno, fluunt, & vicissim ad eum recurrunt omnia, haut aliter, atque per naturales meatus & cuniculos terræ aquæ è mari fluunt, & in id relabuntur; Et ita judicatum fuit Arresto Consistorii inter cœtera

Arresta Festi Trium Regum Anno 1277. & pronunciatū, quod
Capitulum Cathalanense acquisita prædia in fundo Episcopi
Cathalanensis tenere nequeat sine voluntate Domini Regis.
Ægid. Magistr. des amortiss. c. 1. pr. Johan. Papon. d. tit. 14. Arrest.
1. Singulari tamē privilegio, & prærogativâ speciali in Gallia,
ArchiEpiscopo Rhemenſi, Episcopo Cathalaunensi sive Cam-
paniæ, Episcopo Noviodunensi, Lingonensi competit, & da-
tum est, ut sub feuda sua, non alia, quæ à Rege immediatè mo-
ventur, amortizare possint. Reliqui, qui pares Franciæ non
sunt, nihil amortizant, sive id mediatè sive immediatè ab i-
pſis moveatur. Et ita judicatum fuit Arresto, quod datum in
Parlamento, in Regis præſentia, inter Arresta cætera *Festi
Trium Regum Anno 1277.* super Amortizatione factâ ab Archi-
Episcopo Rhemenſi: Item altero arresto præcedente *Anno
1270. Vid. Papon. d. Arr. 3.* Refert etiam illam constit. *Ægid. Ma-
gistr. d. tr. c. 2.* adde *Tholosan. l. 6. c. 5. n. 6.* Ita verò solus su-
premus princeps potest amortizare, quando alterius non in-
terest; si enim inferior Dominus exinde aliquod præjudicium
sentire poterit, non illius tantum, sed & hujus consensum
adesse oportet: privilegium enim principis intelligitur con-
cessum citra præjudicium tertii. *l. 2. §. si merito. 10. §. si quis à
Principe. 16. ff. ne quid in loc. pub.* Et sicut consensum in aliena-
tione rei feudalis non tantum superioris, sed & inferioris ne-
cessarium esse, adstruunt. *Matth. de Afflict. §. Andr. de Ifern. ad
c. Imperialem.* ita princeps iis, qui interesse privatum habent,
nō vocatis, non præjudicare, nec per amortizationem eorum
juri derogare potest. *Bald. in Auth. omnes peregrini. C. commun.
de success.* Et ita in universum longi temporis observatione
receptum est, earum civitatum magistratus consensum etiam
necessariò postulari, in quibus ædificia aut agri ad usum Ec-
clesiarum, cœnobiolorum seu collegiorū à principe amortizā-
tur: Nec invenitur, quod in Gallia à Rege emanaverit ulla
amortizatio sive generalis, sive specialis in præjudicium ter-
tii inferioris non vocati, nec consentientis. *Carol. Molin. d.
l. n. 97. fol. m. 659. Barth. Chassaneus ad Consuet. Ducat Burgund.
tit. de majns mortes rubr. l' homme de main morte, 9. §. 10. n. 54.
fol. m.*

Fol. m. 1172. Guilh. Bened. ad c. Raynutius. ad verb. & uxorem. decis.
§. n. 7. fol. m. 95.

IX. Idq; regulariter verum est, sine inferioris Domini consensu res immobiles amortizari non posse, ne in jure laudemiorum, releviorū, reversionis seu confiscationis sibi quaesito, praejudicium capiat, contra *l. id. quod nostrum. de R. J.* At tamen, si justissima causa Principem moveat, reluctantem inferiorem cogere potest, ut congruā sui interesse pensatione acceptā consentiat. *arg. l. 37. §. 1. vers. quod si. ff. de lib. caus.* Ut si svadeat pietas, jubeat Ecclesiae paupertas, aut alterius manus mortuae urgeat summa extremitas. Exēplū refert. *Molin. n. 98.* Ut si princeps pro fundatione gymnasii trilinguis, Reip. Christianae utilissimi, (quale aliquando non procul ab ejus domicilio inchoatum, sed temporis calamitate intermissum idem testatur) amortizationem concederet praediis vicinis, quod tunc hoc possit in praejudicium Dominorum inferiorum, a quibus non opus sit aliam impetrare amortizationem, sed solum illis praestandam rationabilem futurorum jurium indemnitate, quā vel inviti consentire teneantur, sicut proprietarius & dominus directus ex justa causa rem suam justo pretio vendere cogitur. *l. si quis. 12. ff. de relig. & sumpt. fun. §. 2. J. de his qui sunt sui vel alien. Jur. Peckius d. tr. cap. 24. n. 2.* Hac autem, vel simili necessitate cessante, inferioris domini, cujus interest, consensus omninō requiritur, nec bono Principi subditorum suorum bona vel jura, illis invitis, aut donare, aut vendere, pretiumque in fiscum convertere licet, sicut quandoque adulatores inventos constat, qui id principibus persuadere ausi sunt. *Molin. d. l.* Omnia quidē subditorū bona Principis dici possunt, quā Jurisdictionem, quā defensionem, quā pensionem annuam, quā successionem ultimam; minimē verò gentiū, quā diripiendi licentiam. Num autem princeps ad amortizandum cōgi possit? controvertitur. Et quod de judice asserit. *Papinianus l. non quicquid. 40. ff. de Jud.* non omne, quicquid ejus potestati permittatur, id quoq; juris subjeci necessitati; hoc ad Principem multo magis applicamus: Nō enim,
quod

quod ex gratia unī concedit, ad alium per consequentiam
trahi potest. *c. quod ob gratiam. de R. J.* & consentire gratiæ est,
ad quam faciendam nullus in jure adigitur. *Dd. ad c. gratiam
de Rescript.* Quanquam verò foro exteriori non compellitur,
in conscientia tamen obligatur, peccatq; , si pauperi Ecclesiæ
& manui mortuæ amortizationem detrectaverit. *Petrus Bel-
lug. d. tit. 14. §. restat. num. 3.* Et licet, inquit *Baldo ad d. l.
2. C. de servit. §. aqu.* in hoc mundo nemo sit, qui supremo
Principi dicat, cur ita facis? est tamen animal rationale Poli-
ticum & morale, minimè absolutum à dictamine dominæ,
rectæq; rationis, & proinde debet esse veluti fons justitiæ in
omnes circumstantias oculos flectens. *Peckius c. 24. n. 2.*

X. Sed quid, absente Principe, de Prorege, Vicario, seu lo-
cum tenente asserendum, annon ii jus habebunt amortizan-
di? Et quidem, si princeps Vicario det specialem amortizandi
potestatem, non est dubiū, quin hoc possit facere, & similiter,
si princeps faciat vicarium in certis casibus specialibus, nec
det amortizandi facultatem, jus hoc ei non competit: Et sic
dubium residet in eo, quando simpliciter & generaliter facit
vicarium, & non fit aliqua reservatio in literis vicariatus de
ipso assensu super amortizatione, an vicarius tunc possit a-
mortizare? Pro *affirmativa* facit, quòd, qui committit alicui
vices suas, in totum eas commississe videatur, & quicquid fa-
cit tunc ipse vicem gerens, non respicit ipsum, sed attribuitur
ei, cujus vices geruntur, tantumq; valet genus quoad omnia,
quantum species, quoad specialia. *c. in generali. de R. J. in bto.*
In *negativam* tamen sum proclivior, cum, quod principi, ut
Amortizationis facultas, specialiter reservatum est, in ge-
nerale mandatum, vicario datum, non venire præsumatur,
nec per eum expediri possit. *c. quòd translationem extra de offi-
cio legati* & quod princeps non solitus est, nec de facili facere
consuevit, non censetur concessisse vicario. *arg. l. 44. pr. de
Usucap.* Jā verò rarò & summā difficultate à Principe impetra-
tur, ut res aliqua in manum mortuā transeat, ut testatur diplo-
mata super ejusmodi consensu confecta, quæ facultatem re-
linquendi prædia manibus mortuis coarctat, adeoq; actus ge-
nera-

neralis non includit illa, quæ quis verisimiliter non concederet. *Matth. de Afflict. super c. Imperialem. 55. feud. 2. quest 21. n. 9. fol. m. 681.* qui etiam refert exemplum de Comitibus existentibus extra Comitatum locumtenente, qui consensit in feudum legatum monasterio, concluditq; , eam dispositionem non valere: licet enim Locum tenens potuerit præstare assensum super alienationibus feudorum, quæ tenebantur à Comite, atamen non potuit assentiri in personis prohibitis, & ad accipiendum minus idoneis. Non enim videtur data potestas assentiendi in personis inhabilibus, nisi hoc expressè dictum. *d. c. Imperialem.* Et id caput utilissimum esse, inquit *Matth. de Affl. in pr.* & dignum, quod literis scribatur aureis, cum semper allegetur, ubi cadat sermo de feudis. Hic verò etiam consuetudinem in regno aut provincia observatam cum primis spectandam censeo; & ad cognoscendum, an Princeps verisimiliter & leviter, an difficulter morticinii jus sit concessurus, communem Cancellariæ stylum aut curiæ Principis considerandum esse, rectè hortatur *Felynus ad c. super literis. de Rescript.* Si itaq; amortizandi facultas ex generali mandato vicario seu Proregi non competit, multo magis ea deneganda absentis Principis procuratori, & rerum ejus administratori, qui vicario longè inferior. Cùm enim in amortizando de perpetuo & irreparabili præjudicio agatur, videlicet de consentiendo, ut res penes manum mortuam semper maneat, & de irrevocabili exclusione à jure eandem manum mortuam expellendi, necessariò requiritur, ut tali procuratori ad amortizandum, seu investiendum manum mortuam speciale mandatum detur, non quidem in individuo, de acquisitione talis prædii, à tali Ecclesia; sed tale, in quo exprimitur potestas amortizandi, expresso *Amortizandi* verbo sive per effectum, sive necessariam consequentiam. *Peckius d. c. 23. n. 3. Carol. Molin. d. l. n. 75. & 76.* Sed quid de tutore sentiendum, annon illi hæc amortizandi facultas competet? Videtur id dicendum, quia amortizatio non propriè est alienatio, dum per eam dominus nullum amittit dominium, juxta. *l. 1. C. de fund. dot.* nec qualitas rei amortizatae mutatur, sed semper remanet feudalis, vel censualis.

C

lis.

lis. Verùm rectiùs tutori hoc Amortiffamenti jus detrectamus, quamvis plenam & condignam remunerationem pecuniariam à manu mortua recipiat, quia, licet amortizatio non sit vera alienatio dominii rei, est tamè omninò alienatio certi juris, perpetui, dudum acquisiti & cõpetentis. Accedit, quòd pecunia, quæ in compensationem datur, est res fragilis, quæ citò consumitur; jus verò dominicale, quod Amortizatione, expirat, est durans & perpetuum. *Carol. Molin. d. l. n. 78. & 79. Peckius d. c. n. 4.*

*Subjectũ
Passivum.*

XI. Subjectum Amortizationis passivum, quod supra *posit. 2.* explicatum, est Manus Mortua. Cùm enim ea nunquam mutetur, sed per subrogationem personarum, sicut sedes judicialis. *l. 76. de Jud.* eundem semper statum, expers omnis vicissitudinis, obtineat, adeòq; dominos juribus suis, ut quintis, subquintis, redemptionibus, releviis, laudemiiis, semilaudemiis, recognitionibus, confiscationibus, commissis, & id genus obventionibus privet; meritò licentiam impetrare à Principe debet, quod in singularibus possessoribus, qui certa vitæ spacia habent, non requiritur: hi enim bona temporalia jure communi possident, distrahunt, vendunt, donāt, legant, certis casibus bona fisco committere, & dominis jus, & occasionem percipiendorum dictorum jurium dominicorũ præberè possunt, & proinde sæpè & variis mutantur modis, ut apud *Horatium ad Julium. Flor. Vel puncto nobilis hora*

Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc sorte suprema

Permutat Dominos, & cedit in altera jura. Sic & hæres

Heredem alterius, velut unda supervenit undam.

*Materia
circa quã
seu obje-
ctum.*

XII. Sequitur hujus juris materia circa quam, seu objectum. Istud verò sunt omnia bona immobilia, nō duntaxat feudalia, censuaria, vel Emphyteutica & similia, verùm etiam allodialia, franca, & libera ab omni onere reali, & dominicali, in quibus possessor plenam habet proprietatem, & plenum dominium: cùm enim & ea publicum & commune Reip. interesse respiciant, non possunt citra consensum Principis à manu mortuã acquiri, & possideri, & maximè propter jus confiscationis, quod Princeps perderet, si in manum mortuam transi-

transi-

transirent; retineret verò, si penes possessorem singularem bona manerent, & ille delinqueret. *Guilhelm. Bened. ad c. Raynūtius. decis. 5. Verb. & Uxorem, nomine Adelf. n. 3. p. 94.* Quod feudalia spectat, de iis, quòd in Ecclesiam, vel simile corpus non possint transferri, textus est elegans *1. feud. 13.* cujus ratio non est, quam assignat *Jacob. de Belviso*, quia Ecclesia sit potentior, & privilegiata, nec ad còveniendum facilis, in potentiorè verò fieri donatio non possit. *Da. ad. l. 135. §. 3. ff. de V. O. l. 2. Qui satis. cog.* sed vera ratio, cur feudum Ecclesiæ non detur, in textu additur; *Quia feudum nunquam est reversurum ad Dominum, cùm Ecclesia non desinat esse heres.* adde *c. 12. q. 1. c. si gratiosè. de Rescript. in 6.* Idq; obtinet, etiamsi Vasallus expressim, & in causam piam donaret pro anima. *§. donare. 2. feud. 9.* Idem dicendum de bonis Emphyteuticis, quæ non possunt in manum mortuam transferri, ut decidit *Specul. in tit. de locat. §. nunc aliqua. vers. 116.* quem sequitur *Johan. Andr. in addit. vers. 120.* qui non duntaxat dicit, hoc esse summè æquum, sed & addit rationem, quia dominorum directorum interfit, nec debeat eorum jaribus, puta laudemiorum, vel releviorum, & reversionis, seu commissi infeudatione, vel concessione retentis præjudicari; pro ut fieret, si res transirent ad Ecclesiam, vel aliud corpus, quod non mutatur, nō moritur, sed à successoribus semper repræsentatur. Excipiuntur tamen nonnulla bona, quæ amortizationem non desiderant; Vt. (1.) quæ solius Principis & ejus verè, ac propriè sunt allodialia: ea enim, cū nullius alterius superioris interfit, indubitanter in Ecclesiam, vel simile corpus transire & transferri possunt, ita, ut illa de iis manus suas evacuare non teneatur. (2.) Ea, quæ una manus mortua alteri manui mortuæ vendit, tradit, aut donat; tunc etiam nulla amortizatione, nullo consensu est opus, quoniam cessante causa legis & Constitutionis, cessat lex & Constitutio ipsa. *c. cum cessante. de Appellat. l. fin. C. de long. temp. prescripti.* Et hîc etiam semel præcessit amortizatio, atq; ex ejusmodi venditione, traditione, donatione, neq; natura, neq; qualitas rei alienatæ, aut personæ acquirentis demutatur, Reip. autem & Principi præjudicium nullum fit, quantumq; huic

manui mortuæ accedit, tantumdem & alteri decedit. *Molin. d.l.n.96.in fin.(3.)* Ista quoq; quæ pro fundâdis, dotandis, reparâdis & amplificâdis Ecclesiis, nō quidē ad superfluitatē, sed ad convenientē necessitatem, fuere acquisita, a mortissamentū non postulant. *arg. l. placet. C. de S. S. Eccl. Peckius c. 35. n. 2.* Ubi mirificè laudat *Carolus V.* eo nomine, quòd ipse in concedenda rerum hujusmodi piarum, & ad divinum cultū pertinentium amortizatione, pro sua clementia se nullo modo præbuerit difficilem. Add. *Guilhelm. Bened. d.l. n. 33.* qui hanc in rem varias Francorum Regum constitutiones extare, asserit.

Forma.

XIII. Materiam subsequitur forma, quæ à nobis, ut præcipua cujusq; rei pars, & quâ sine res ne quidem esse incipit, omninò venit inspicienda: Quoties igitur manus mortua bona cupit amortizari, Principē adire, & literas ab eo impetrare debet Amortizationis, sigillatas in formā instrumenti, cum fibulis sericis & cerâ viridi, quæ nominatim & expressè ejusmodi prædia & possessiones contineant. Has literas instrumentales in Gallia necesse est, expeditas esse, & verificatas in Camera Thesauri Regii, sive Curia rationum, redigiq; in volumen instrumentorum Curia, ex Regis decreto, addito pretio dictæ partis, ut consulatur indemnitari regis, & successorum, cum Curia censeatur tutrix & conservatrix patrimonii regii. Et huc respicit *Carol. Molin.* quando *d.l.in fin.* inquit, Amortizationē debere verificari, & homologari in supremo Senatu. Ad essentiam tamen & effectum gratiæ Principis scriptura non requiritur, sed solo illius verbo perficitur, & si clausulam (*fiat ut petitur*) addat, omnibus modis stabilitur: Expeditio enim literarum solemnitas est extrinseca, nec ad substantiam rei quicquam facit. Eleganter *Baldus: In lingua Principis stat gratia, in Scriptura testimonium, in Executione Commoditas.* Hinc, an per testes consensus Principis probari possit, inter se discordant *Dd. Andr. de Ifern.* videtur tenere quod possit. Atq; ita judicatum in sacro Consilio se vidisse, testatur *Matth. de Afflict. ad 2. feud. c. De prohibet feud. alien per Lothar. n. 14.* A quo tamen ipse recedit, & assensum istum per
lite-

litteras, non per testes probandum, adstruit; nisi eo casu, quo probetur, assensum & confirmationem Regiam in scriptis aliàs præstitam, fuisse perditam. Cùm igitur consensus iste omninò impetrari & adesse debeat, dubium movetur, num iste præcisè præcedere, an verò acquisitionem rei immobilis, à manu mortua factam, sequi possit? Rem hanc temperamento expedit *Peckius d. tr. c. 27.* & subsequentē Principis consensum admittit, si titulo contractus legitimi res in manum transferatur mortuam; cum hîc, vel ab initio consentire, vel postea confirmare, perinde sit. *l. Tribung. de test. milit. l. in concedendo. in fin. de Aqu. & aq. pluv. arcend.* Si verò ex titulo legati eâ petat, alio jure utendum censet; cùm enim res in potestatem heredis perveniat, legati titulo ex constitutione Principis existente nullo, utiq; non videri Principem citra heredis injuriam, consensum in eo rerum statu interponere, & nova amortizatione jus, quod ei quæsitum fuit, tollere posse. *l. nec avus. C. d. Emancip. l. 2. §. 10. & 16. ff. Ne quid in loc pub.*

XIV. Huic difficultati connexum est illud, Num Amortizatio expressis verbis concedenda, an verò tacitus Principis consensus sufficiat? Posterius videbatur dicendum, cùm patientia domini, & taciturnitas sine contradictione habeatur pro licentia. *l. 18. ff. mand. l. 2. C. de remiss. pign.* pariaq; sint, vel expressè, vel tacitè, consentire. *l. cum quid. 3. si cert. pet.* Et ubi in alicuj9 præsentia aliquid tractatur, ex quo alteri, aut exceptio, aut actio quæritur, aut præjudicium nascitur, quod ille præsens dissensu suo impedire potest, nec tamen impedit, præsumitur utiq; negotii approbatio; ex quo est, quòd, qui pro se præsentem aliquem, patitur, fidejubere, præsumitur mandare. *l. semper. 60. de R. J.* Ita hîc, si præsens est Princeps, scit, videtq; rem immobilem in manum transferri mortuam, nec contradicit, utiq; id factæ amortizationis loco esse, videbitur. Verum rectius prius asserendum, existimamus, cùm longè aliud sit, scire, videre, nec contradicere, aliud licentiam concedere: ubi sufficit nuda scientia, ibi taciturnitatem solam sufficere, largimur, juxta *l. 1. §. scientiam ff. de tribut. act.* at ubi requiritur licentia, & expressus consensus, non sufficit ta-

citus, sed oportet, licentia detur per verba. *Peckius c. 28. Matth. de Afflict. ad d. c. de prohibet. feud. alien. per Lothar. n. 13. p. m. 620.* & ibid. *Andr. de Isern. p. 593. adde Fab. & Mynsing. ad §. 8. J. quibus modi jus. patr. potest.* qui plura referunt exempla, quibus præjudicium fiat tacenti. Difficultatis plus habet, si Princeps tale quid faciat, quod amortizationem inducere possit, ut si gabellas, laudemias, & alia jura trāslatæ possessionis à manu mortua scienter recipiat, eamque in bonis immobilibus investiat, an tùm amortizationem concessisse, & sibi in jure expellendi præjudicasse videatur? Et quidem, quia hæc non debentur in casum, quo velit mortuam expellere, sibi omninò præjudicat hoc jure, tanquam cōtrario & opposito. *l. 4. §. 2. & ibid. Bart. ff. de leg. Commiss. seq;* excludit à jure cogendi vacuare manus, non verò à jure petendi indemnitate. Et ita generaliter statuendum, nisi, ubi & quatenus specialis consuetudo loci contrarium, quæ servanda, disponat; ut consuetudo in Gallia Turonensis, quæ vult dominum per receptionem jurium sibi non præjudicare, etiam in jure expellendi *Carol. Molin d. l. n. 62. & 29. fol. 653.* Ita nec sibi præjudicat in jure expellendi, vel cogendi vacuare manum suam, si propter prædium censuale, de novo ab Ecclesia acquisitum, receperit censum annum præstari solitum: quoniam census est onus ordinarium debitum, & omninò solvendum. *l. cum possessor. ff. de Censibus.* Quod ampliat *Molin. n. 72.* censum nihilominus posse exigi pro anno & tempore currenti i. e. pendente lite, licet dominus instaret contra Ecclesiam, ut cogeretur, ponere extra manum suam.

XV. Ad jus morticinii impetrandum, Sumptibus quoq; opus esse, nemo nō videt, sed à quo illi exigendi, id nō adeò obviū est. Spectandū hīc existimo, an manū mortua ipsa velit prædia acquirere, & tùm ad sumptuum solutionē omninò obstringitur; an verò eidem donatione mortis causa, vel inter vivos, vel legato testamēto facto, res deferantur, & tūc donans, aut testator amortizationem ipse persequi, & suis expensis obtinere adigetur. Etenim qui legat, aut donat, non tantū scire debet statum & conditionem donatarii vel legatarii,

gatarii, an habilis sit, & capax bonorum possidendorum citra
 gratiam & dispensationem Principis, sed etiam ipsius rei qua-
 litatem, quã donat, & legat, puta, quod obnoxia sit fidelitati,
 hominio, banno, subbanno, quintis, subquintis, redẽptionibꝫ
 releviis, laudemiis, venditionibus, aliisq; juribus Domini-
 calibꝫ, quæ de necessitate præstanda sunt. Cũ igitur donat, aut
 legat rem ita obnoxiam, vel ipse, vel heres ejus eam liberare,
 immunitatemq; suis expensis impetrare tenetur. *l. si tibi homo.*
§ 6. pr. de legat. 1. & expressiùs adhuc *Scaevola in l. penult. §. ult.*
ff. de legat. 3. Et ita pro administratoribus Xenodochii Trinita-
 tis Lutetie adversus Mariam Briconettam pro feudo de l' Hiemil-
 le arresto Parisiensi, quod datum in curia consilii Anno 1558.
 d. 27. Martii, pronunciatum fuisse, testes sunt *Johan. Papon. d.*
tit. Arr. 5. & Ægid. Magistr. d. tr. cap. 7. in pr.

Quid Prin-

XVI. Propter factam autem indulgentiam Princeps
 à manu mortuã jus habet exigendæ pecuniæ; quantum ve-
 rò persolvendum, non constat, cum non uno, eodemq; modo
 id præstetur: Communiter est tertia pars valoris & æstimati-
 onis possessionum amortizatarum, eaq; nominatim Principis
 domanio destinata est, prout taxa hujꝫ pecuniæ non alibi ex-
 pressa reperitur, quàm in unica Constitutione Regis Franciæ
Caroli VI. his verbis: *Carolus Dei Gratia Rex Franciæ omnibus*
presentibus, & futuris notum facimus &c. Nos iis consideratis,
cupientes omnes difficultates tollere, supradictisq; incom-
modis & obstaculis obviam ire, harum tenore constituimus, o-
mnnes cujuscunq; ordinis aut qualitatis, qui à nobis literas amor-
tizationis alicujus redditus, prædii, aut possessionis impetrabunt,
aut obtinebunt, soluturos realiter, & de facto ante verificationem
& comprobationem literarum, in commodum & augmentum
nostri patrimonii, tertiam partem æstimationis prædiorum
à nobis amortizatorum: Quæ tertia pars in prædiis possessi-
onibus, aut redditibus consistens, sita in nostra ditione ac juris-
ditione directè nostro patrimonio adjungetur. Datum Lutetiæ
Anno Domini 1402. 23. anno nostri regni, Mense Octobri.
 Hæc constitutio diligenter observata, magnam patrimonio
 Regis accessionem faceret; sed paulatim actitatum est, ut vel

cipi pro a-
 mortizati-
 one debe-
 atur.

tertia

tertia pars in alios usus converteretur, atq; in privatas personas donationibus transferretur, vel, ut loco tertiæ partis rei amortizatiæ præstaretur aliqua summa pecuniaria, quæ ut plurimum Regis ærario non illata. *Ægid. Magist. d. tr. c. 3. Papon. Arr. 6.* Aliquando pro hac tertia parte fructus triennales pendentur, aliquando plus vel minus, vel pro ratione & magnitudine rerum amortizatarum, vel pro voluntate, & liberalitate amortizantis. Si verò feudum ab alio inferiore, quàm à Rege emanaverit, & moveatur, Domino tenentur vel exhibere vicarium hominem viventem, morientem, & committentem h. e. quo vivente nullum novum jus acquiratur Domino, sed à moriente feudum aperiatur; vel indemnitatem persolvere i. e. illam pensionem, quæ fit, & præstatur Domino pro interesse suo, loco jurium utilium, quæ verisimiliter percepturus erat, remanente re, in privatorum manu, quæ sæpe & variis mutatur modis: alterius autem præstatione liberantur. Unde videbatur dicendum, eos ad præstationem hominii insuper non teneri, præsertim, cum Ecclesiastici ad præstandum hominium idonei non sint, utpote, in quo est promissio obsequii & servitii in temporalibus; attamen arresto aliquo in Gallia d. 13. Martii Anno 1536. inter Johannem de Valenciennes Dominum d'ormoy, & Abbatem atq; Conventum S. Victorii ad Lutetiam contra judicatum est, quemadmodum id notat, hominiiq; utilitatem annectit. *Ægid. Mag. d. tr. c. 8. n. 2.*

XVII. Si itaq; manus mortua jus hoc morticinii præscripto modo non impetraverit, à Principe præcisè cogi potest, ut de possessione bonorum quæditorum decedat, i. e. talia bona extra manum suam ponat intra annum & diem, & in manum seu personam capacem transferat, per quam nec durior fiat conditio domini directi, nec Principis. Et expressè testatur *Franciscus Mignon, non obscurus Gallie Pragmaticus ad Consuet. Andegav. tit. des seigners temporels. art. 37.* manum mortuam per Regem, Regisq; ministros, ac præfectos coram senatu regio in j9 vocari, cogiq; posse, ut intra annum & alia præfinita tempora, pro cujusq; regionis more ac lege, bona immobilia, non amortizata, à se abdicet, atq; in manum laicam transferat,

transferat, & eo modo consulitur Ecclesiæ, seu manui mortuæ, ne lucro privetur, ei delato ex testamento, donatione, vel alio titulo, & pariter succurritur Domino feudi, vel emphyteuseos, ne propter privilegium Ecclesiæ detrimentum patiatur in jure suo ordinario. *Guilhelm. Bened. ad d. c. n. 3. in fin. Peckig d. tr. c. 34.* Hinc publico etiam edicto, scribit *Petrus Belluga in specul. pr. c. ult. n. 16.* quandoq; Regem jubere, ut Ecclesiastici omnium bonorum, à multo tempore possessorum, catalogum exhibeant, quò inspectione illiq; quæ amortizata sint, cognoscat, pro non amortizatis jus suum exigat, adeoq; hinc vulgata juris decisio officium suum perdit; Neminem ad professionem tituli sui compelli posse, nullamq; in causis civilibus inquisitionem admitti. *l. cogi. 11. C. de petit. hered. l. ult. C. de bon. vacant.* Ex quo factum, tradente *Mignone*, ut *Franciscus Primus* Rex Galliarum in gentem thesaurum ab Ecclesiis, in regno suo sitis, anno 1522. congesserit. Et licet aliqui hinc existiment, nullam in hac re procrastinationem manui mortuæ concedendam, attamen ex variis circumstantiis, quæ subinde concurrere possunt, id temperandum est, nulla enim Constitutio tam præcisa, quæ non honestam patiatur dilationem. *l. si debitori ff. de Jud. l. Continuus ff. d. V. O.* quò pertinet sententia *Theodoretii*, cum ait; Legibus lege opus esse, quoniam *Et marini pisces, qui in multa salsedine enutriti sunt, sale adhibito, ad condiendum indigeant.* *Peckius. d. c. 34.* Si verò Princeps possessiones, citra amortizationem quæritas, abdicare jusserit, & lapso anno non fuerit paritum, videndum, an manus mortua prædiorum non amortizatorum fructus lucrari possit? Pro affirmativa equidem militat. *l. 25. ff. de petit. hered.* Ubi, cum agitur de acquisitione fructuū, nullitas, seu tituli invaliditas non attenditur, & *l. 17. ff. de donat. inter vir. Et uxor.* Ubi fructus percipiendo uxor, vel vir facit suos, licet donatio nulla sit: Pro negativa facit, quòd naturalis possessio, qualis est apud manum mortuam, nõ sufficiat, ad lucrandos fructus, & malæ fidei possessor, ut est manus mortua, rem unà cum fructibus restituere tenetur. *l. 22. C. de R. V.* Res temperamento indiget, & prospiciendum, an Constitutio Principis, qualis est *Caroli V.* & statutum

D

tum

tum civitatis, venditionem, donationem, legatum, seu traditionem in manum mortuam factam, annullet, atq; inficiat, & tunc fructus manus mortua non lucratur, si verò ejusmodi clausula & Constitutio annullativa non obsistat, sed duntaxat apud eam manere, vetet, secus esse, & fructus eam omninò lucrari, existimamus.

XVIII. Solus verò Princeps hoc jure utitur, ut possit cogere homines manū mortuæ, possessiones à se emancipare, & in manum vivam, capacemq; transferre, non verò eo gaudent inferiores domini, quamvis prædia ab iis moveantur, si enim Ecclesiastici, & manus mortuæ parati sint, aut vice sua hominem præbere viventem, morientem, confiscantem, aut indemnitate præstare, alterutro liberantur, nec à dominis inferioribus in possessione turbari debent; Dicitur quidem posset, indemnitate non comprehendi alienationis & commissio- nis casum, nec in Ecclesia locum habere, proindeq; Dominū quintis, subquintis, releviis, & aliis lucris privari, re tamen benè inspectâ, tantum abest, ut inferior Dominus indemnitas præstetur, ut ejo conditio melioretur, siquidem non rarò contingit, ut res feudales, vel aliæ, 300. vel 400. annis, ab una & eadem familia derivatæ à patre in filios successione, possideantur citra ullam alienationem, pro quibus sanè directis ita immutationib9, atq; adeò pro tanto hoc tempore Dominus nihil consequitur. Atquin eo casu, quotiescunq; Abbas, seu Prælatatus mutatur, q; sæpius evenire potest, lucrum percipit. Ut ita maneat, dominos inferiores homines manū mortuæ cogere nō posse, ut possessionibus quæ sitis cedant, modò eis, aut offeratur homo vivēs, moriens, & confiscans, aut eorū indemnitate prospiciatur, cum hâc ratione extra omnem jacturam, sint positi. Atq; ita inter *Georgium duChenay scutiferum petitorum ab unâ, & capitulum du vivier ab alterâ parte, in Arresto Pariensi Anno 1539. d. 23. Maji* pronunciatum esse, testantur, & *Ægid. Magistr. d. l. c. 6. in pr. & Johan. Papon. d. l. arrest. 4.*

XIX. Sin autem Princeps possessiones, non amortizatas, extra manum ponere non jubeat, sed manus mortua prædium triginta annos pacificè possideat, ejus nomine nunquam

quam inquietata, nunquam interpellata, videndum est, an præscriptione se tueri possit, ita, ut de talibus se disvestire, non cogatur? Et prima frôte, cū homines manū mortuæ ad impetrationem amortizamenti non teneantur, nisi ratione superioritatis, quam Princeps in omnia temporalia sibi vendicat, & ratione servitii feudalis, & dominici, q̄ Principi exhiberi debet, videbatur, dicendum, jus hoc præscribi nō posse, adeò, ut adversus illud vasallus ne longissimi quidē temporis præscriptionem ullo modo possit opponere; Nihilominus tamē judicatum, si manus mortua possederit donationis, legati, aut alio titulo sine amortizatione, non posse Principem post tempus 30. annorum ad aliud eam cogere, quàm, ut præstet hominem morientem, & committentem, vel sanè cautionem indemnitatis *Ægid. Mag. c. 5. n. 3. & 4. Papon. Arrest. 6. p. 53*; Hic verò varii regionum mores, & leges observandæ, pro quibus res non amortizata, vel longiore, vel brevior tempore, adversus Principem præscribuntur; In plerisq; locis 40; *Gvilhel. Bened. d. l. n. 5*; In aliis 30; In aliis 6. annis *Molin. n. 60. Peck. c. 35. n. 3.*

XX. Formam excipit Amortizationis effectus, qui *Effectus.* est, quod, his omnib. observatis, ex jure illo morticiniū manū mortuæ, videl. Collegia, Ecclesiæ, Cōfraternitates, Xenodochia, Capitula, Civitates &c. habeant jus bona immobilia acquirendi, & acquisita in perpetuū possidēdi, nec teneantur ea è suo mancipio ablegare, possessionibus decedere, aut in personam, seu manum laicam capacem rransferre *Tholosan. l. 15. c. 38. n. 6.*

XXI. Adversantur huic juri leges, & Constitutiones, *Contraria.* quæ hominibus manus mortuæ bona immobilia retinendi, & possidendi facultatem adimunt, easq; non tantum in Hispania, & Italia, verum etiam in Gallia & Anglia floruisse, imò per Burgundos Principes, & aliqua *Caroli V. Imperatoris* Constitutione *anno. 1520. d. 29. Octobris* amplificatas & confirmatas esse, supra §. 3. abundè ostensum fuit, & testatur alicubi *Besoldus*, nonnullarum Civitatum Imperialium statuta extare, insigniter concordantia *Daß die weltliche Erbe in die geistliche*

liche Hand nicht kommen/noch verbleiben sollen / sondern im
Jahr vnd Tag zuverkauffen sein. Ne Ecclesiastici, opibus
corrupti, minùs pii essent, exemplo Æsopicę gallinę, quę stri-
gosa, & malè habita, singulis diebus ova peperit, saginata ve-
rò parere desuit; Facit l. 20. & 27. C. Theod. de Episcop. & Cler. Et
tantùm de hac intricata Amortizationis materia retulisse,
sufficiat, plura qui velit, adeat Dd. cum primis Dnn. Magistros
Dn. Renatum Choppinum, de Domanio Francia lib. 2. cap. 13. &
Johannem Pacquet. in tract. de Domanio part. 4. nec non Dn. Zy-
pæum in suo Jure Pontificio lib. 2. de for. compet. n. 19. Quos ta-
men videre non licuit.

Sola Soli Solisq; Deo fit Gloria Soli.

SUPERPONDIA.

I.

Eorum, qui statis olim temporibus tributa non
penderent, & in bonis quid haberent, bona
proscripta esse, & publicè venundata, Jacob.
scribit Rævard. 5. varior. 6. num. 6. Si verò nihil
haberent in bonis, affectos eos esse supplicis. Cui Go-
deschalck. Stewech. fidem habet ad lib. 3. c. 3. Ve-
get. f. 218. Verùm haut scio, an adducti à Rævardo
in eam rem Salviani ac Ambrosii loci, faciendę fi-
dei sufficiant. Quin nec carceribus aut plumbatis ex-
igi tributa potuerunt, ut est in l. 2. C. de exactorib.
tributor. Sed quis verò in contumaces processus ob-
servabatur? Idem, quem nunc quoq; etiam in collectis,
quandoq; injustissimis, exigendis, adhiberi cernimus.
Scilicet manu urgebantur militari; Man legte ihnen
Tribulle=

Tribullerere oder Soldaten ein. Quod si adhuc sc̄-
e is facere distulerint, ad distractionem tandem bono-
rum fiebat descensio. Confer. l. i. C. de capiend. &
distrahend. pignorib. tribut. caus.

II.

Archiatros in defunctorum locum substituen-
dos, ante omnia rigidè esse probandos; optimâ jam
dudum ratione sanxerunt Valentinian. Valens &
Gratian. A A A. in l. 10. C. de Profess. & Medic.
Ita tamen, ut quicumq; fuerit admissus, non in prio-
rem numerum statim veniret, sed eum ordinem con-
sequeretur, qui cæteris ad priora subiectis, ultimus
poterat inveniri. De juris divini pariter atq; huma-
ni, nec non sapientiæ Professoribus idem dixeris rectis-
simè: Cur verò non ita pleriq; hodie censeant, haut in-
meritò mireris. Cæterum de hac ipsa lege lib. 10. Ep.
40. Symmachus: Inter alia, (inquit) quæ in bo-
num publicum contulit, etiam medendi professoribus
dedit ordinem successionis, si locum quempiam dece-
dentis fortuna nudasset. Quâ lege cautum est, ut
primi artis ejusdem, de novorum scientia judicarent.
Hanc formam, quantum asserunt, ætas secuta ser-
vavit.

III.

Iniquè hodie faciunt novelli quidam præfecti,


D 3

sc̄

seu quaestores (quos vulgò *AmbtSchösser* dicimus,) si praedecessorum suorum reliqua, vel ipsarum potius praefecturarum: Die *Ambts Reste*: suscipere detrederent, atq; exigere: Quibus vel ideò hoc indulgendum non est, quòd & apud Romanos olim, novis incubuerit susceptoribus, (qui fuerint, docet l. 5. in fin. ff. de censib.) etiam reliqua anni praeteriti, sive suorum antecessorum suscipere; rescribentib. Impp. in l. 3. C. de susceptorib. praeposit. & arcar.

IV.

Illud profectò non sine magna prudentia Diocletian. & Maximian. A. A. constituerunt; Ne quis agricolis vim faceret ad praebendos mulos, boves, equos, servos, operasq; suas, posteaquam capitacionem suam & quod debebant, praestitissent; in l. 1. C. Ne rustican. ad ull. obsequium devocent. Duae enim artes maximè utiles ad constitutionem & conservationem Reip. Agricultura, quæ colat & nutriat milites: Militia, quæ defendat & tueatur agricolas, notante Stewech. ad d. c. 3. lib. 3. Vegetii f. 214. Sed quantum & hac in parte hodiè peccetur, excors fuerit, qui non intelligat.



Dum

CLARISSIMO DOCTORANDO, Amico
suo percharo. S.P.

T E tranare viam, non marcescente corona
Cinctus, quâ victor docta per ora voles.
Dum Themis alma videt veluti latatur honore,
Quod ferat illa tuis debita dona comis.
Sic mihi, spes Diva, pertentant gaudia pectus,
Ut video fructus spem tibi ferre suos.
Involviq; tuâ temet virtute, vebebat
Quæ te Justitia per jugâ celsa sacra.
Ante vel elapsum lustrum dum, me Duce, forti,
Illius in castris. pectore, miles erat.
I cape mercedem ! te frugum semper acervo
Jus beet, & reliquis Dis sociata Venus.

Bonæ scevæ ergo deproperat

Godfrid Fiebig D.
& P. P.

D um Te sudantem vigili in certamine cernit
Alma Themis, virtutem, infucatumq; virorem
In Juvene eximio miratur, sacraq; Clëio
Audenti nova ferta parat, condigna laborum
Præmia. Macte novis ausis, sic itur ad astra.

R A M D O H R I O,

Jurium peritissimum quem communis fama, verè
nuncia, depradicat, fortunam respicientem ex ani-
mo apprecatur. Sit tibi, quem petis, summus honor
ad majores dignitates gradus, auspicataq; omnia
sint tua consilia, diviteq; fœnore fructus emolu-
menti longè latèq; spargant.

Guernerus Rolfinck, Hamburg. Phil.
Med. Doct. Prof. Practicæ, & Chimicæ Pub-
licus.

UT magis atq; magis se palma extendit in auras,
Nec patitur longæ tristia damna mora.
Ingenium, Vir clare, tuum sic alta capessens
Omne supra lato vertice scandit opus.
Tàm bona cùm præstes Vernos, ò Maecte! per annos,
Quætibi maturâ fruge senecta dabit?

Clarissimo ac Præximio
Dn. Doctorando
amico non è
multis uni

CHRISTIANUS Detleff
Plaviâ-Pariscus.

F I N I S.

